

143

141

147

137

152

132

192

092

242

042

Ende

Anfang

128

tantis discriminibus et periculis existentes Dei non obliviscantur.
Tribus ergo vicibus per diem adorant in navibus Deum.
Primo mane in ortu solis, tunc enim aliquis de servis domini
patroni, stans in alto ante castellum, imperat fistula silentium,
quo facto erigit tabulam, in qua depicta est beata Virgo
puerum tenens in ulnis; quam cuncti videntes genua flectunt,
et Ave Maria dicunt, et alias orationes si placet. Statim
autem ut tabulam remittit, incipiunt tubicines canere tubis, et
tunc unusquisque procedit ad opera solita. Secundo circa
horam VIII. ante meridiem iterum signum fit ad orationem, et
capsa, quae stat superius ad malum, operitur cum panno aliquo
pulchro, et ponuntur super eam duo candelabra, cum accensis
candelis, et in medio candelariorum tabula Crucifixi, et liber
missalis, ac si officium Missae deberet celebrari; et omnes
peregrini ascendunt, circumstant malum. Tunc accedit sacerdos
stolam in collo habens, et incipit: Confiteor; et consequenter
omnia legit, cum omnibus moribus sacerdotis celebrantis,
dempto canone, quem non legit, quia non conficit: et ita
perficit Missam, sine sacrificio Missae, concludens eam cum
Evangelio: In principio erat verbum. Illas Missas nominant
Missas torridas, vel aridas. An autem hic modus sit in jure
fundatus, non memini me legisse. Sed hoc scio, quod quibus-
dam doctis non placet. Dicunt enim quod legere ea, quae
manifeste cantantur a choro, non est inconveniens; sed ea
legere cum stola et Missae moribus et sacerdotalibus sollem-
nitatibus, sit deceptorium. In festivitatibus cantant illas Missas.
Sed Eucharistia nunquam in navi conficitur. De cuius parentia
ante maturam deliberationem saepe miratus fui, et negligentiae
nostrorum Praelatorum adscripsi, quasi minus curarent de
filiorum ecclesiae salute, quam dignum et justum ac necessa-
rium esset, praecipue tamen cum legamus, quod tempore B.
Gregorii fuerint Missae in navi celebratae, vel ad minus
Eucharistia in ea conservata, ut patet 3 Dialogorum, ubi
habetur, quod quidam periclitati in mari Adriatico communicati
fuerunt corpore et sanguine Domini. Et in legenda B. Ludo-
vici, Regis Franciae. Et videbatur mihi magna ecclesiae
negligentia, quod in tantis periculis constitutis non esset
provisio facta dudum cum sacramentis et signanter peregrinis,

